

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gottfried Brockmann

De fibra motoria : Dissertatio inauguralis medica

Rostochii: typis Adlerianis, 1818

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007512199>


Druck Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU med. 1818

Brockmann, Jo.Henr.God.







De
F i b r a m o t o r i a

~~~~~  
Dissertatio inauguralis medica

~~~~~  
quam

consensu illustris medicorum ordinis

in Academia Rostochiensi

pro

summis in utraque medicina honoribus

rite capessendis

publico eruditorum examini

submittit

Joannes Henric. Godofredus Brockmann

Suerino - Megapolitanus.

~~~~~  
Rostochii,  
typis Adlerianis 1818.



unus cup, ita ut non habens auctoritatem  
etiam non esse eiusmodi. Cuius de genere  
tunc invenimus eis, quod est unius et  
unius, eis hec causa de ipsa causis superius  
ad hanc sententiam extitit. Nam etiam in

### *De fibra motoria.*

Motus in omni natura vel primarius est vel secundarius. Motus primarius seu proprius aut mutatione chemica producitur aut viribus fundamentalibus, quae cunctis corporibus insunt, gravitate, electricitate, ceteris. Ita fluidum fermentationi idoneum subire motum et in se agitari videntur, quum partium constituentium proportio fermentationis processu permittatur; ita duo corpora eadem electricitate praedita, seu negativa illa seu positiva, se mutuo videntur repellere; ita corpus, cui punctum fulcens substraxeris, deorsum fertur; ita permulta corpora post compressionem aut expansionem pristinam formam recuperant.

Motus secundarius is est, quo corpus quiescens ab alio corpore moto aut agente afficitur, et corpus quiescens motum corpus aut sequi cogitur, aut ab eo discedere, si vis et materia corporis moti tantae magnitudinis sint, ut quiescens corpus possint motu afficere.

Eadem haec motus genera obveniunt in organismo humano, cuius motus proprius oritur tum, cum e. g. homo aequilibrio amissis gravitatis suae vi in terram dejicitur; porro partes corporis humani extensa vel compresae in priorem formam situmque sponte resilunt sua elasticitate. Motus ii, qui a mutationibus partium constituentium chemicis profiscuntur et fini cuidam inserviunt, in organis obtingunt proprio modo constructis et ad hanc motionem destinatis.

Motus secundarios ubique in corpore humano evenire videmus, ubi partes aliquae cum organis motui inchoando destinatis conjunctae sunt, ita ut illae situm et formam suam

mutare toties cogantur, quoties in his est motus proprius. Sic os situm suum cogitur mutare, ubi alligatus ei musculus contrahitur.

Organa illa corporis humani, quae ad motum proprium data formataque sunt et aliarum partium situm formamque immutant, composita esse videmus nervis, vasis, fibris ipsis peculiaribus, telaque cellulosa, quae partes caeteras inter se connectit. Haec fibra peculiaris instructa est vi contrahendi sese, decurtandi et relaxandi, hoc est, pristinam formam recipiendi, ideoque merito insignitur nomine *fibrae motoriae* (Bewegungsfaser).

Haec autem fibra motoria illam contrahendi et rursum expandendi vim exserere nequit, quando sejuneta est a nervis vasisque. Haec igitur duo ad facultatem illam actu monstrandam absolute necessaria esse appareat. In nervo autem nullus omnino motus animadvertisitur, quem communicare cum fibra motoria possit; quo ipso fit, ut corruat illa theoria, quae fibras musculares a nervis constringentibus et contrahentibus moveri defendit.

Arteriarum contractionem et expansionem fieri videmus, ut contentus in illis sanguis propellatur, neutiquam vero fibrae motoriae contractio per sanguinem in arteriis motum mechanice efficitur, quae Astrückii erat opinio, fibram muscularam existimantis esse continuationem arteriarum eamque ab ingruente sanguine in lateribus suis distendi, in longitudine contrahi. Erroneam esse opinionem tum fibrae muscularis celeritas satis confirmat, celeritati circulationis sanguinis parum respondens, tum illud, quod illo sumto canales quos singunt fibrae muscularis tam tenues et tam exigui diametri esse oportet, ut nullo modo capaces forent recipiendi sanguinis, quo dilatarentur et contraherentur.

Quoniam igitur causis mechanicis statuendis res expediri nequit, illud reriquum est, ut vias dynamico-chemicas ingrediamur.

Jam olim fuerunt, quibus irritabilitatis phænomenon in fibra musculari videretur esse processus chemicus, in quo oxygenium præcipue agens et tota res esset processus oxy-

dationi et desoxydationi innitens. Alii physiologi, quum id quod in piscibus electricis accidit contuerentur, et velocitatem, qua animae voluntas in musculis contractionem efficiere solet, animo perpenderent, cum processu electrico rem comparandam duxerunt. Postremo Galvani stimulo metallico in afficienda fibra et musculari et nervosa detecto proclive videbatur, illam irritabilitatem habere pro processu galvanico. Atque profecto non parum probabilitatis et commendationis opinioni accedit, si consideremus, similes omnino effectus in fibra motoria produci per galvanismum illis, qui vitae per influxum in ea fibra existunt. Atenimvero sicubi effectus nobis pares occurere videantur, non continuo licet paribus eos caussis tribuere. Ecquam multas animadvertisimus mixtionis in corpore humano varietates, quas chemice imitari irrito conatu laboraremus! Ita liquor sanguinis humani similis imitando produci nunquam potuit, quamvis partes eum constituentes probe cognitas habere nobis persuadeamus. In gra-

vissimis argumentis, quae illum processum non esse galvanicum probent, absque dubio est illud, quod in columna galvanica prorsus non fit, ut una aliqua vis agat, nisi agat et altera. Ideoque in fibra motoria, si ille processus purus galvanicus esset, nunquam oriri motus posset, quoniam vis una statim provocaret et alteram. Quare si contrahendi potestas vim suam exserere in musculo velit, vis etiam expandens illico efficax foret illamque aboleret, ita ut fibra motoria permaneret quiescens. Quodsi autem fibrae contractionem et expansionem alternantem explicare velimus, statuendum foret, unam harum virium efficacem se ostendere posse, nec tamen simul alteram, unde sequeretur 1) non eadem velocitate utramque agere, 2) et originem habere diversam.

Theoriae de processu galvanico ita disputant: fibram muscularam constare globulis sanguinis rubris, qui juxta se continua serie siti semper cum sanguine arterioso conjuncti sint, cuius oxygenium repraesentet electricitatem positivam, et in ea expansionem ser-

vet, hoc est, globulos a se invicem distineat; unamquamque fibram posse considerari ut columnulam galvanicam; haec autem actio muscularis ut se ostendat, polum negativum agere et catenulam claudere debere, ut globuli sibi invicem admoveantur, et tali modo perficiatur contractio; polum hydrogenicu esse nervum, qui voluntatis impulsu agat. Hujus opinionis falsitas dispalescit ex eo, quod duo corpora, cum in homonyma electricitate constituuntur, sive positiva sit illa seu negativa, semper a se recedunt, nunquam sibi appropinquant, et tamen fibrae muscularis globuli in hac theoria jubentur alias alii appropinquare, ubi electricitatem negativam acceperint.

In columna galvanica actiones emergere ibi videntur, ubi metallum contingit metallum; ad musculum autem procurrunt nervi et vasa, quae sanguinem adducunt oxygenio et calorico ditionem sanguine illo venoso a musculo redeunte. Oxygenium hoc et caloricum sanguis haurit in pulmonibus, ubi cum aëre ipsi

commercium est. Nervus materiam, qua agit, vel ubique in se ipso producere, vel a cerebro accipere videtur. Quum nervos et vasa statuimus esse caussas excitantes hujus actionis muscularis, luculenter nobis appareat diversitas, quae hunc inter processum et galvanicum intercedit. Vasa enim et nervi proficiscuntur a variis et diversissimis inter se corporis partibus, quum contra vires galvanicae una juxta alteram producantur.

Musculus quum irritatur, primum in eo contractionem oriri eaque cessante sequi expansionem, ubi scilicet relaxatur, animadvertisimus; ergo vis contrahens celerius quam expandens in eum agat quinadeo illam superet graviusque momentum habeat necesse est, quum musculus interdum satis diu possit in contractione permanere; vires contra galvanicae pari semper proportione eodemque tempore adsunt.

Sequitur, ut dispiciamus, quis et qualis sit ille processus, quo contractio et expansio in fibra motoria peragitur. Actione musculari

II

intensa videmus plus calorici in organismo animali expediri; similiter in processibus chemicis, ubi materiae se conjungentes spatium absolute minus quam ante conjunctionem repellent, caloricum etiam evolvi, praeterea arteriam fibrae musculari sanguinem adducere calorico et oxygenio ditiorem, quam quem vena reducit. Porro animadvertisimus, quo plus est in corpore actionis muscularis, eo incitatiorem etiam esse sanguinis circulationem, ergo fibram motoriam tempore certo plus sanguinis arteriosi quam in statu quietis accipere; nam aucta sua activitate plus materiae amittere videtur, cuius necessaria est restitutio, ut fibrae actione perdurare possit. Hoc eo plus verisimilitudinis habet, quum sanguis arteriosus ubique in corpore elementa et nutritionis et secretionis praebeat; unde fit quoque, ut in aliqua extremitate plane deficiat sustentatio et motio, quin etiam hoc membrum postremo demoratur, simulac ei detraxerimus influxum sanguinis arteriosi subligatis arteriis.

Ex his igitur quae exhibui argumentis

mihi quidem probabile est, permutationem  
ehemicam in elementis fibrae motoriae peragi-  
tum, quum haec activam se ostendit.

Fibrae motoriae activitatem ex sola aliqua  
vi ipsi insita propriaque velle definire, id vero  
perquam difficile foret. Primum enim ne  
illud quidem, quid aut quale sit vis, satis  
perspectum habemus; deinde quidnam obsta-  
culo esset, quominus illa vis perpetuo et con-  
stanter, sed certis tantummodo temporibus,  
ageret? Videmus quidem corpus elasticitate  
praeditum pristinam formam recuperare, quae  
per vim mechanicam fuerat immutata. Ve-  
rum enim vero actionem musculariem ecquis  
audeat ex elasticitate demonstrare? Quod si  
tamen duas etiam vires sibi contrarias in fibra  
motoria statuere velimus, quarum una con-  
tractionem absolveret altera expansionem, pro-  
fecto longe majori difficultate rei probatio  
laboraret. Ubinam enim quaeso dicamus vim  
alteram delitescere tum, cum altera agit?

Quum statuimus, actionem fibrae moto-  
riæ existere per processum ehemicum, ob-

jici huic hypothesi posse illud videtur, quod  
nuilam in fibra mutationem observamus praeter  
solam spatii repletionem. Sed nihil,  
credo, hac objectione evincitur. Occurrit  
enim haud raro, ut duo corpora, quae chemice  
analysata partes constituentes prorsus  
easdem sistunt, tamen facultates sensuales  
eorum si spectemus inque humanum corpus  
efficaciam, permultum reperiantur a se invi-  
cem discrepare; item e contrario saepe duo  
corpora externa specie prorsus aequalia ta-  
men animadvertisimus diversissimas exhibere  
partes constituentes.

Nunc id agitur, ut demonstremus, quo  
pacto ad fibram motoriam deferantur materiae,  
quae mutationem in ea efficiant, et quanam  
sint illae materiae. Posterius quidem horum  
non adeo facile explicatu videtur. Etenim  
mutationes chemicae in hoc processu adeo non  
in sensus incurront, ut nihil omnino possit de  
ea re certi affirmari. Interea si consideremus,  
sanguinem arteriosum in eo processu oxyge-  
nium calonicumque suum amittere, calonicum

autem adepta libertate per corpus se diffundere, admodum credibile fit, non ultimas in ea re partes esse oxygenii. Hoc tamen oxygenium quum unius tantum in fibra actionis productioni causam suppeditare possit, omnino necesse est, aliam aliquam adesse materiam, quae contrarium effectum producat. Utramque vero materiam simul exhibere sanguis arteriosus non potest, quia tum ambae simul agerent, et altera alterius efficaciam statim interciperet, et sic nulla omnino motio efficeretur. Propterea contrariae actionis causa efficiens mihi quidem videtur in nervo quaerenda. Nam venae et vasa lymphatica nullas materias fibrae adducunt, imo potius eas reducunt. Cujus autem generis hacc materia sit, quam advehat nervus, non audeo decernere. Quamvis enim in columna galvanica videamus polum alterum ex aqua oxygenium, alterum hydrogenium evolvere, ac si vel maxime sumere velimus, oxygenium sanguinis arteriosi unam e conditionibus activitatis in fibra motoria esse, tamen non ideo statim liceret affirmare, alteram conditionem esse hydrogenium,

Fibrae motoriae contractio quaeritur quo momento peragatur, influxu nervi an sanguinis arteriosi? Contractio fibrae motoriae eo ipso temporis puncto contingit, quo anima imperat. Statuunt autem physiologi, animam per nervos agere in corpus, et contra nervorum ope ideas de statu corporis accipere. Ubi nervus ad musculum pertingens subligatur aut dissecatur, motus musculi continuo cessat. Quare magna cum veri specie licet exinde colligere, nervum suppeditare materiam contractioni fibrae perficiendae idoneam. Modum quidem celeritatis, qua sanguis in arteria propellitur, possumus definire, celeritatis, qua nervus agit, non possumus. Quare fieri vix posse videtur, ut ex illa celeritate actionis muscularis celeritatem explicemus.

In qualibet mutatione mixtionis chemica videmus, si oxygenium et caloricum aliis partibus constitutivis corporum dissolutorum jungantur, has partes fieri leviores, id est expansiones existere. Unde conjectari possit,

sanguinem arteriosum, quod oxygenio et calorico abundet, fibrae motoriae dare conditionem expansionis.

Oxygenium et caloricum adstricta sunt formae in sanguine stillabili ad summum gasiformi. Ergo nervi materiam contractionis effectricem plusquam gasiformem esse oportet, quo agat celerius. Sin gasiformis vel adeo stillabilis esset, in nervo requirerentur canales visibles transmittendae hujus materiae caussa. Hi autem in eo nulli sunt. Quare et theoriae de globulis aut succis in nervis se moventibus jam diu judicatae sunt parum sufficientes. Talis materia, quae fluidior quam gasiformis esset, prorsus fugit perspicaciam nostrorum sensuum; eam adesse ex effectibus solum cognoscimus, quod idem fit in electricitate et magnetismo. Nervorum actionis causam efficientem a priori cognoscere nunquam poterimus, sed ab effectibus solum ad eam ipsam retro conjecturam facere.

Quoties agit musculus, seu stimulo externo id fiat sive interno, a sensorio communi vel

systemate nervorum universim proficidente,  
motum semper inchoat a contractione; ergo  
materiam, qua nervus agit et si eam pro  
contractionis conditione habeamus, primum  
agens esse oportet ac celerius se efficacem  
ostendere posse ea materia sanguinis arte-  
riosi, quae expansionem perficit. Contractio  
fibrae motoriae in musculo cum incipit, cre-  
dibile est, simul et incipere contractionem in  
fibra arteriae, qua impeditur, quominus san-  
guis arteriosus immittatur amplius et materia  
ejus expandens contractionem prius tollat,  
quam ultro illa et per se desinat; cessante  
autem influxu materiae contractionem pera-  
gentis, statim plus sanguinis arteriosi denuo  
infunditur et fibram in priorem ejus expan-  
sionem restituit.

Verum quid caussae est, quod muscu-  
lus permanet quietus et mutationis expers,  
quum tamen hoc ipso in statu sanguis in eum  
continue ingruat? Verisimiliter ea fibrae in-  
doles est, ut non nisi certam aliquam portio-  
nem materiae expansionem producentis reci-

piat, ne scilicet ultra normalem gradum expandatur. Caeterum fibrae haec requies explicari etiam possit ex illa hypothesi: nervus continue est efficax et fibrae motoriae tantum materiae subministrat, quantum requiritur ad servandum aequilibrium cum materia sanguinis arteriosi, ita ut ambae materiae suam efficaciam vicissim coerceant et neutra earum efficax in fibram reddatur.

Igitur opinio mea haec est ut statuam, motum illum peculiarem fibrae motoriae in organismo animali esse processum dynanico-chemicum a vitae viribus pendentem, in quo nervus per suum influxum fibrae motoriae oxygenium detrahatur, caloricum liberet, ac contractionem efficiat, sanguis autem arteriosus rursum ei oxygenium advehatur, contractionem tollat, et expansionem restituat.

In diversis organis diversimode se exercit motus, accomodate functioni et muneri, quod unicuique organo praestitutum est.

In musculo animae arbitrio subjecto fibra tam dia quiescit, quoad anima per-

influxum nervorum ejus actionem provocat eamque urget ad contractionem, quae satis diu durare potest, donec ille influxus tandem desinat et expansio rursus incipiat prae-  
valescere.

Fibra arterialis semper in contractione et expansione alternantibus versatur, quoniam arteriae munus est, contentum in ipsa sanguinem contractione propellere et durante expan-  
sione novum sanguinem e corde delatum ex-  
cipere.

Diversa ab ea quam in musculo obser-  
vavimus ratio obtinet in utero. Hic enim actio fibrae primum in expansione per gravi-  
ditatis tempus conspicitur, quae expansio ubi ad certum gradum adacta est, tum demum consequitur contractio.

Substantia uteri constructa est e tela cellulosa, densa illa et firma, ex arteriis, ve-  
nis valvulis carentibus, vasis lymphaticis, ner-  
vis et fibra ipsi peculiari. Fibram hanc multi existimarunt esse musculararem, alii anatomici prorsus eam negarunt et nuperrime Autenrie-

thius eam semimuscularem esse pronunciavit.

Munus uteri est, post conceptionem foetum recipere, alere, et postquam ad summum perfectionis gradum pervenit, extrudere. Quae ut fieri possint, primum necesse est, nutrimentorum largior copia ad uterum deferratur, deinde in eo praevaleat expansio, quos crescenti foetui amplius spatium concedatur. Utrique harum conditionem satisfacere sanguis arteriosus videtur eo, quod primum uteri fibram ad expansionem movet et habilem reddit, tum quod in omnibus partibus suis constitutivis materiam nutriciam uteri foetusque incremento necessariam suggesterit. Abque expansione et reproductione adiunctis uterus nonnisi mechanice a foetu expanderetur, neque huius amplum satis locum ad perficiendam efformationem permetteret.

Post factam conceptionem continuo internam uteri superficiem deprehendimus in statu inflammationis simili, id quod primum esse initium videtur actionis vascularis dehinc praevalescentis.

Nunc magis in dies vasa augmentur et amplificantur, arteriae, ut pro suo reproducendi et expandendi munere sanguinem adducant, venae, ut abundantem sanguinem reducant; pari quoque modo increscit fibra motoria, hoc emergens distinctius, quo propius gravitas a suo termino distat.

Tempus efformando foetui conveniens simulatque praeteriit, foetus utero expellendus est. Quare quae antea fuerat expansione uteri in contractionem transeat oportet, eaque cum sit in aucta sensibilitate nervorum, matri manifestatur doloribus eamque de imminente partu commonefacit. Contractionem eo promptioris actionis esse oportet, quoniam imminuta expansione etiam imminuitur reproductio, ideoque foetus propter deficientem alituram, quam sanguis uteri arteriosus ei praestiterat, periret, nisi proxime citoque in lucem ederetur. Haec mihi videtur esse una ex causis obitus infantis, quum is diu in pelvi compressus haeret inter dolores ad partum continuatos.

Ex his quae diximus facile intelligitur, quovis graviditatis tempore partum posse contingere, accendentibus videlicet caussis ejusmodi, quae in utero aut contractionem, id est, nervorum actionem intendant, aut expansionem, hoc est, influxum sanguinis arteriosi diminuant. Prius horum possimus supponere tum, quum abortus sequitur post affectiones et perturbationes animi vehementiores; posterius, quum inflammatio alias cuiusdam organi gravior aut actio vascularis per totum corpus adacta sanguinem arteriosum utpote expansionis conditionem ab utero deflectit ideoque abortum inducit. Itidem fit abortus post haemorrhogias ex utero placenta soluta profusas.


De caussis modoque contractionis uteri si quaeramus, multi physiologorum effici eam fibris muscularibus utero propriis contendunt, alii sola contractione fibrarum arterialium. Evidem existimaverim, utramque et fibram uteri et arteriae in ea esse efficaces. Nam ordiente contractione uteri non solum fibra


ejus peculiaris ad contractionem se componit, sed simul etiam fibra motoria arteriae, eoque cavitur, ne nimium sanguinis arteriosi ad uterum permanet adeoque contractionem, quia is expansionis conditio est, si non penitus tollat, inhibeat tamen et sic partum retardet. Ex eadem caussa explicari rursum possit, qui fiat, ut in feminis sanguine abundantibus saepe dolores sint ad partum minus efficaces et venaectione partus adjuvetur, porro quare in feminis, quibus systema nervorum solito irritabilius est, major quoque sit ad faciendum abortum proclivitas.


Alia quaestio in disceptatione adhuc posita haec est, utrum fibrae uteri sint musculares nec ne? Musculus est organon ad solum motum destinatum, praecipue fibris constans, quae fibrae *musculares* (Muskelfasern) appellantur. Gignuntur autem et increscunt solummodo una cum reproductione corporis universalis; verum ubi deficiunt prorsus aut destructae sunt, non reproducuntur, porro


quum efficaces sunt, primum in iis contractio  
se exserit, eamque sequitur expansio.

Fibra motoria uteri humani nondum  
potuit distincte monstrari extra graviditatem,  
nec ibi universe necessaria est, quia uterus  
motui non destinatus ea non indiget. Tanto  
autem distinctius apparet in progressu gravi-  
ditatis et continuo post partum, quo absolute  
paullatim incipit evanescere. Accretio haec  
et disparitio sicut et qualitas ea, qua primum  
semper in ea expansio, dein contractio sunt,  
sufficiente argumento docere mihi videntur,  
hanc fibram prorsus diversi generis esse ha-  
bendam a fibra musculari; et quum nullo in  
alio organo similem fibram conspiciamus, quae  
eadem facultates referat, optimo jure eam  
vocamus *fibram uterinam* (Gebärmutterfaser).









surco cuius tunc vel minime sensu  
elipsa non est ex parte eius de genere  
cuiusque motus etiamque ex parte eius  
est inveniens ea de sua natura hinc de  
suntur enim sicut videtur etiamque motus

### *De fibra motoria.*

Motus in omni natura vel primarius est vel secundarius. Motus primarius seu proprius aut mutatione chemica producitur aut viribus fundamentalibus, quae cunctis corporibus insunt, gravitate, electricitate, ceteris. Ita fluidum fermentationi idoneum subire motum et in se agitari videmus, quum partium constituentium proportio fermentationis processu permittatur; ita duo corpora eadem electricitate praedita, seu negativa illa seu positiva, se mutuo videmus repellere; ita corpus, cui punctum fulcens subtraxeris, deorsum fertur; ita permulta corpora post compressionem aut expansionem pristinam formam recuperant.

A 3

